This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 5GLF +

OKEL, Georg, Nicolaus

...Memoria Rostochiensium...

Joachimus Kutzerus

HARVARD DEPOSITORY
SPECIAL COLLECTION
CIRCULATION RESTRICTED

608.2
534.9
O41m

Digitized by Google



Digitized by Google

זכר צדיק לברכה

MEMORIA ROSTOCHIENSIUM PROTO-EVANGELISTAE,

QVI FUIT

M. JOACHIMUS KUTZERUS, DOEMITIENSIS,

QVAM

Superiorum Permissu

RENOVATAM

PUBLICA DISPUTATIONE,

PRAESIDE

M. DAVIDE HENRICO KOEPKENIO, LUNEBURGENSI,

IN ILLUSTRIS ET PERVETUSTAE ROSTOCHIENSIS ACADEMIAE,

Auditorio Majori

ANNO MDCCII. IPSIS CALEND. MAJI,

HORIS CONSVETIS,

AMICO COMMILITONUM EXAMINI SUBJICIET

RESPONDENS

GEORG. NICOLAUS OKEL, ROSTOCHIENSIS S. TH. CULTOR.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliſſ. Senat. Typographi.

Digitized by Google

ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY
CAMBRIDGE, MASS.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

AC

DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

DUCI REGENTI MEGAPOLITANO, PRINCIPI VETUSTAE GENTIS HENETAE, SVERINI, & RACEBURGI, COMITI SVERINENSI, TERRARUM ROSTOCHII & STARGARDIAE DYNASTAE, ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS PATRONO, & CANCELLARIO MAGNIFICENTISSIMO.

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

608.1 S34.9 O41m

Digitized by Google

SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME!

AUdet leviuſculum hoc ſcripturae genus, Sereniſſimum Tuum ſubire conſpectum, et tanto fidentius qvidem audet; qvanto firmius ſibi eſſe putat praeſidium in promtiſſima Tua, & egregio qvodam naturae

munere

munere Tibi PRAECELSISSIME PRINCIPUM! conceſſa Clementia, ne dicam Humanitate. Ita & terrae filios optabile illud vaſtiſſimae hujus Univerſitatis Ornamentum radiis ſuis ſolet colluſtrare; & terrarum Domini caeſas licet ab infimis obſeqvii & venerationis victimas non omnino praeterire conſveverunt. Sed vel ſola Virtuoſiſſimi PRINCIPIS, HENRICI PACIFICI, qvem inter Beatiſſimos Majores Tuos numeras, memoria, qvam ſcio SERENITATI TUAE longe fore jucundiſſimam, non ingratum confido hoc efficit conamen. Is enim ille, qvi priſtinam purioris Religionis faciem reducentis praeſtantiſſimum in ſe patrocinium ſuſcepit: Is hominem contra variam commotae plebis audaciam tutatus eſt. SLUTERUM, inqvam, Virum nunqvam ſatis aeſtumandum, qvi ad repurgandam nobiliſſimam hanc

Digitized by Google

Terram ab illatis ſuperſtitionibus primus acceſſit, gratiſſimum habuit, & hoc ipſo laetiſſimum veritatis Solem revexit. Nec dubitaverim aſſerere, omnes ea propter ſpatioſiſſimae Ditionis Mekelnburgicae angulos ornatiſſimo huic HEROI, qvam diu lucis praeſtantia tenebrarum incommodo non judicabitur poſtferenda, obſtrictiſſimos ſemet agnituros. Vivit HENRICI pietas, vivit religio, dum victuri ſunt, qvi pura mente DEUM colant. Vivet indigenis, im̄ortaliter de ſe Principem hunc meritum profesſis: Vivet exteris, ſanctiſſimi candoris exemplum incomparabile. Eamdem SERENISSIME PRINCEPS! foves religionem, eodem cultu ſubditis tuis praeluces, qvem ſub auſpiciis GLORIOSISSIMI HENRICI SLUTERUS qvondam pene ſepultum, qvin plane intermortuum, ancipiti qvidem initio fortuna, reſuſcitavit: nec ſolum IPSE amas, ſed & ſubditis

ſubditis Tuis illibatum conſervas & illaeſum. Qvo nomine non minorem ſane, qvam HENRICI Tui pietas, in omnem late patentem Terram Tuam Benigniſſimi derivas gratiam: & hinc â ſubditis amorem, atq; venerationem im̃arceſcibilem â poſteris vero memoriam nullo caſu obliterandam flagitas. Itaq; veniam concedas temeritati, PRINCIPUM EMINENTISSIME! qvod eumdem ſed ſcripto delineatũ, Sereniſſimis oculis Tuis offerã, qvem ê PIENTISSIMIS MAJORIBUS Glorioſiſſimae memoriae PRINCEPS ſuſcepit, & prae tot ſplendidiſſimae alterius Eccleſiae Praelatis & Magnatibus adamavit. Suſcipiat eum TUA SERENITAS; ita enim egregii hujus Viri multo erit auguſtior memoria. Nec dubito, qvin validturus ſit apud SERENITATEM TUAM, cujus corroborata Sacrorũ autoritate dogmata inde ab incunabulis valuerunt, & impenſiſſime amata ſunt. Qvod supereſt cum

ſubdi-

ſubditis tuis obſeqvio, veneratione atqve precibus decertabo, nec intermittam Summum Numen ex intimo pectore invocare, ut omnem fulgorem Meclenburgicū, qvi per SERENITATEM TUAM auguſtiſſima ſumſit incrementa, omni tempore perennem eſſe jubeat, omnisq; generis, & dignam tam ILLUSTRI HEROE proſperitatem, & qvamcunq; perfectiorem felicitatem propriam FRIDERICO WILHELMO ſuo in totius Meclenburgi gaudium conſtituat,

SERENITATIS TUAE

Servus & Cultor ſubjectiſſimus

M. DAV. HENR. KOEPKEN.

Digitized by Google

SOcordis vulgi hoc temerarium maxime inſtitutum eſſe, nec obſcurum amplius ulli eſt, nec incompertum, ut peregrina & â qvotidiano contuitu paululum remotiora, eaq; qvandoqve parvi momenti vehementiſſimo impetu ſectetur, qvæ vero ſub oculis poſita ſunt, elegantiſſima coeteroqvin, negligat, & parvi pendat. Ita qvoqve eos multo honoratiores communiter eſſe, non ignoratur, qvorum ê longinqvis ad nos fama, qvantumvis levior nonnunqvam, penetravit, iis obſcuratis, qvorum praeſentium aeſtumatio jure magna eſſe debebat, ſaltem non ante abitum & obitum debitis decoratis laudibus. Qvaelibet alia terra ſejunctis locorum aliqva diſtantia ſuorum facile eſt comendatrix; non qvod illi ſingularibus in publicam rem meritis ſuper coeteros ſint evehendi, ſed qvod alibi vivant, & qvae elogiolo aliqvo digna perpetrant, non conſpiciantur, ſed auditione percipiantur. Aſt eleganter non minus qvam vere, ſummus ille immortalitatis aucupator Plinius Secundus (a) *pravum malignumq; eſt*, inqvit, *non admirari hominem admiratione digniſſimum, qvia videre, alloqvi, audire, complecti: nec laudare tantum, verum etiam amare contingit.* Nec enim qvemqvam, cui integra adhuc omnia ſint, aliter ſenſurum exiſtimavero. Cum enim virtus qvandocunqve, & ubicunqve enituerit, laudabilis ſit, qvid juſtius eſt, qvam illud hominum genus reprehendere, qvi viros omne promeritos praeconium eo praetereunt, qvod praeſentium vitae intereſſe poſſunt,

(a) Epiſt. XVI. lib. I.

alios autem minoris fors conditionis homines, terrarum ſive, vel etiam temporum intervallo â ſe diſtinctos ſuſpiciunt, colunt, venerantur, admirantur. Imo tanto majores iis crediderim decernendos honores eſſe atqve exhibendos, qvi praeſentibus virtutum ſe ferax oſtendunt ſolum; qvo rariores earum ſinceros cultores inveniri, abſentium autem & vita jam defunctorum avaritiam ſaepius pro parſimonia, audaciam pro fortitudine, verſutiam pro prudentia, ſcurrilitatem pro urbanitate, & vitia reliqva pro virtutibus accipi collaudariq; pluriũ temporum exemplo perdiſcitur. Neqve tamen propterea eos, qvi loco aut temporis aliqva intercapedine diſcreti â nobis ſunt, ſua defraudandos eſſe laude cenſeo: praeſertim ſi honeſtae eorum vitae non levis ad nos pervenerit fama: horum vero & fama, & monumenta ingenii ſuperſint haud fallacis indicii. Abſit imitandum dicam Joh. Ciampolum Florentinum (b), nec non Cardenionem illum, uti ſe vocat, in colloqviis Germanicis Lucenae, qvae civitas luctuoſiſſima Potentiſſimi Regis Sveciae morte celebris eſt, editis, Heſiodum Homerum, Juſtinum Martyrem, & recentiores etiam Heinſium, Voſſium, Salmaſiumq; impudentiſſime vituperantem (c), & qvemadmodũ hi veteres poetas praeſtantiſſimos, & eruditionis laude per tot ſecula apud doctiſſimos etiam vigentes, eosqve qvorum recens adhuc virtutum fama eſt, manifeſtis onerant conviciis, ita qvoqve abſentibus pariter & demortuis inſultandum. Eſt enim omnino pulchrum, hominum virtute vel eruditione excellentium, ut memoria maneat diligenti curare ſtudio; qvod non ſolum eorum immortalitati, ſed & poſterorum

exemplis

(b) Videatur Diſſertatio M Lanbii Auguſtani, Amici mêi qvondam familiariſſimi de Peccatis Eruditorum Helmſtadii 1696. habita, ad praeceptum IIX.

(c) Vid. Menſ. Januar. plagul. C. & D.

exemplis his non minus efficaciter docendorum proſpiciatur utilitati: ne dicam, plurimos alienas virtutes ſuis monumentis exornando, ipſi ut honorati ſint, effeciſſe. Qvis igitur non magnipendat illorum operam, qvi in recenſendis, illuſtrandis, atqve judicandis priſcorum vitis ſunt occupati? Ecqvid vero etiam egere aliud Hiſtorici veteres maximo apud nos in precio habiti v. gr. Cornelius, Curtius, Svetonius, &c. qvam qvod Inſignium Virorum acta poſteritatis tradiderint memoriae? E recentioribus multos haberemus, qvorum in hoc paſſu merita non ſine laudis additamento eſſent nominanda. Afferemus autem tantum, qvem nulla aetate grata noſtra dimittet memoria, Virum maxime Reverendum, Johannem Andream Schmidium Theologum apud Helmſtadienſes in Illuſtr. Julia ſupra omnem livoris aleam poſitum, Patronum, Hoſpitem, atq; Praeceptorem noſtrum multis jam abhinc annis omni cultu proſeqvendũ: cujus ex antiqvis deſcriptae vitae Archytae Tarentini, Archimedis Mathematicorum principis, Arati Phænomenorum ſcriptoris, Euclidis Geometrae, Senecae, Daedali Mechanici celebris, Anaxagorae, Anaximenis, &c. cum literario orbe communicatae merito omnium favorem ſentiunt & gratiam. Sed gentiles hi fuerunt, & absqve lucente revelationis lampade averſi â DEO, qvorum tamen memoria ſummo cum fructu literariae eruditionis Reipublicae per ornatur. Qvam volupe igitur nobis fuiſſe oportuit, & Chriſtianum, & inter Chriſtianos meritorum dignitate praeſtantiſſimum, primum (d) nempe celeberrimi hujus

 ad

(d) Attamen fuit & ante Sluterum, imo vel ante Lutheri veritatis inſtitutam profeſſionem, anno nimirum 1516. qvi evangelicam puritatem detegeret in ſummis tenebris Nicolaus Rus, homo diligens, & Sacerdos non uſqve qvaqve

ad Varnum emporii Evangelicum Doctorem, qvi fuit ante hos CLXXI. annos nunc B. M. JOACHIMUS SLÜTERUS, Petrinae apud Roſtochienſes dum viveret Eccleſiae miniſter meritiſſimus, in medium producere, cujus egregiam vitã, memorabiles res geſtas, acerbiſſimamq; mortem his literis mandemus, & ad poſteros transmittamus. Eqvidem ante jam ſuperiori ſeculo B. Nic. Gryſe idemtidem Verbi divini apud Roſtochienſes praeco Sluteriana fuſe ſatis expoſuit & recenſuit: verum inde, noſtrum qvo minus exſeqveremur conſilium, nulla afferri potuit mora; cum B. illius Viri ſcriptum praeter antiqvam dialecti ruſticitatem, ob qvam negligi â plerisqve ſoleat, in paucorum admodum ſit manibus. Recenſuere praeteres de Slutero nonnihil

---

qve indoctus, ceu vocatur â Lindenbergio Chronici Roſtochienſis Lib. 3. cap. 17. Eumdem Bohemorum qvorumdam, haud dubie Waldenſium concionatorum ſaepiſſime eum inviſentium, doctrina informatum, in ſuis, qvos freqventer noctu habebat, conventibus graviſſime traditiones humanas, indulgentiarum abuſus, & Pontificias ſuperſtitiones, inprimis turpiſſimam ſpiritualium vitam reprehendiſſe, Jam adductus Autor ſcribit; id propter etiam in viciniam Wiſmariam coactum eſſe; & cum poſt ſesqvi annum civitatem repeteret, non minus violentiæ qvam olim ſentientem in Livoniam receſſiſſe, ubi vitam placide finierit, relictis aliqvot ingenii monumentis. Eadem refert aetate prodiiſſe qvendam Prophetici ſpiritus ſtudioſum, qvem eade cauſa vulgus vatem appellarit; eumqve per omnia Eccleſiarum & urbis limina diſcurriſſe, & ad exſpectationem liberationis ê captivitate Babylonica homines excitaſſe, qvem vero inanem & mente captum deriſerint primum, poſt etiam urbe ejecerint. Imo vel ſeculo & amplius ante qvam Lutherus oppugnationem Papatus moliretur, Roſtochii religioſam qvandam civem fuiſſe, ſuper coeteras ſexus ſui acie ingenii & facundia lingvae præſtantem, idem teſtatur Lindenbergius l. c. c. 15. lib. 2. qvae Pontificios errores graviter taxarit, Purgatorium nullum, indulgentiam vanam, & auricularem confeſſionem nugacem eſſe aſſeruerit, alto ſupercilio novam hanc doctrinam ſpernentibus primum Monachis; dein fruſtra admonitam, ut reſipiſceret, & vel ab ipſo filio ſuo ſollicitatam Vulcano fuiſſe traditam. Verum enim vero licet omnes hos jam ante Sluterum, imo vel ante ipſum Lutherum reformantem veritatem Evangelicam docuiſſe percipiamus, nullus tamen eo rem perduxit, ut religio tot abuſibus vitiata corrigeretur.

Digitized by Google

nonnihil Lindenbergius,& Dnus. D. Polzius, ad Spiritus S. Ædes hic loci Paſtor optime merens noſtra aetate: alter in Roſtochienſi Chronico ſuo, alter ad Calcem Calendarii in annum 1697., qvae tamen maximam partem ê Gryſenio deſumta ſunt. Nobis vero integrum fuerit haec cum coeteris qvae de Slutero reperimus, percurrere, & cum L. B. ſine fraude communicare. Verum ut in omni negocio, & in hiſtoria potiſſimum, commendabilius nihil eſt ipſo ordine, eumdem etiam omni ſtudio ſectaturi ab ovo ad mala, qvae ingreſſi ſumus, DEO adjuvante pertexemus.

§. I. Igitur qvod ad ortum attinet beati Sluteri, eundem in celeberrimo qvodam oppido traxit nempe Domitii, cui caſtrum totius fere Mekelnburgenſis terrae natura & arte munitiſſimum adjacet (e). Hoc ipſum comodiſſimo ſitu, qvi eſt ubi Albis & Eldæ confluentiam ſpectatorũ oculis natura exhibet non parum nobilitatum, praeterea qvoqve cruentis ſeculi praeterlapſi decimi ſeptimi temporibus, qvae univerſam Germaniam ineluctabili fere belli incendio implicatam tenebant, minime incognitum, feliciſſimo memorandi hujus viri partu multo inſignius nomen mihi videtur conſecutum, qvo minus ejus natales alius etiam aliqvis locus ſibi audet vendicare, uti Graeciae qvondam civitates Homeri nativitatem ſibi legimus aſſeruiſſe. (f)

§. II. In tam celebri, tenui licet coeteroqvin, oppido lucis uſura frui coepit natus ab honeſtiſſimis parentibus,

 mu-

(e) Arte qvidem, cum inter Sereniſſimos Fratres Johannem Albertum, & Ulricum ita conveniſſet, ut Sverinum, & Domitium per Italicum Architectum communirentur, qvod factum eſt anno 1556, qvemadmodum ex manuſcripta qvadam hiſtoria, qvam ex Andreæ Mylii manuſcripto & Calovii edita relatione Autor Anonymus conſarcinavit, & Nicolai Marſchalki Chronico mſto adjecit.

(f) Cicero in oratione pro Archia Poeta.

Digitized by Google

munerum tamen dignitate non adeo fulgidis. Siqvidem nec de filii virtute parentum unqvam inferiorem conditionem derogare ſcimus, nec obſcurum genus ignominiae eſſe atqve dedecori, qvo minus qvis ad majora dignus qveat haberi. Sane largum eorum afferre poſſemus numerum, qvi ex tenui caſa ingentium qvandoq; facinorum magnaeq; poſtea dignitatis viri prodierunt. Iphicratis parentem calceos refeciſſe, & Tulii Hoſtilii patrem conſtat pecuario magiſterio praefuiſſe. Qvid? magnum illum Juſtinianum Juris Conſultorum Principem infimo loco ortum eſſe ex omnium ſententia perſcribit Matthias (g). Et Eraſmus Roterodamus ſui temporis longe omnium eruditiſſimus, aut incerto, aut obſcuro admodum genere natus eſt, perhibente Maimburgio apud Illuſtr. Sekkendorfium. (h) Praeter hos vero complures alios ex infima plebis fece protractos magna ſaepe negocia perpetraſſe qvis dubitaverit? Itaqve non potuit etiam noſtro genus ſuum fuiſſe retinaculum â rebus magnis, qvas in DEI gloriam efficeret. Fuit autem parens ejus, cognomine Kutzerus appellatus, ei vitae generi addictus, qvod qvi tenent ex qvotidiana iter facientium in adverſam fluminis partem deportatione, Portitorum obtinent appellationem, qvos germanice Fehrleute vocitare conſvevimus.

§. III. Nomine vocatus eſt Beatus noſter JOACHIMUS, qvod fide digniſſima etiam monumenta demonſtrarunt. At in diverſum tamen hic abit meritorum copia tam in publicam civilem, qvam literariam rem praecellentiſſimus Illuſtris Dominus Sekkendorfius, qvi JOHANNEM illum dictum nunciat, his verbis: (i) *in Ducatu Megapolitano,*

(g) Theatr. Hiſt. in ej. Vita.
(h) Commentar de Lutheran. Lib. I. ſect. 36. p. 139.
(i) Tractatu citato Lib. I. ſectione 61. §. 168. p. 295.

Digitized by Google

tano, ſive Mekelnburgenſi, ab arce & urbe olim ſpatioſa, ſed diruta nomen habente, prima Evangelicae doctrinae promulgatio Roſtochii, qvae Academia inſignis urbs eſt, Joh. Sluterum Domitienſem autorem habuit. Idemqve clarius expreſſum Johannis nomen in Catalogo poſt finem libri annexo viſitur. Verum iis hoc forſitan παράπτωμα erit imputandũ, qvi elegantiſſimum & maximi laboris Tractatum ejus, anteqvam imprimeretur, deſcripſere, cum facili negocio ex Joch. potuerint legere Joh. ut ita tantum virum hoc lapſu vacuum dicere oporteat. Qvem tamen nolim negligi, ad differentiam alius cujusdam JOHANNIS SLUTERI, qvem initium ſuperioris ſeculi vidit, & animadverſiones qvasdam in Hippolytum à Lapide conſcripſiſſe teſtatur Chriſtianus Funccius. (k)

§. IV. Sed vero cognomine dicendus fuiſſet Beatus noſter KUTZERUS: unde miramur alio nempe SLUTERI eum nobis innotuiſſe. Novimus tamen ex eorum teſtimoniis, qvi de Slutero noſtrae aliqvid prodiderunt memoriae, cauſam mutati cognominis fuiſſe nimis maturum parentis ex hac in coeleſtem vitam diſceſſum. Siqvidem cum orbata marito eſſet, qvae fuit mater ejus, alii nupſit viro, cognomini Slutero. Hic qvod in puerum benevola eſſet voluntate; eumdemqve naturalis patris loco amplexaretur, cum amore nomen etiam in filium derivavit. Recuſavit tamen haud raro iſthoc appellari, & ut omnes Kutzerum vocarent diſcupiit. verum praevaluit inveterata jam civium ſuorum conſvetudo, qvae nec ſtudio, nec induſtria ulla potuit commutari; cum omnes & in civitate & extra civitatem alio, qvam Sluteri nomine eum non noverint, nec noſſe voluerint inſignitum, itaqve Kutzerus

(k) Vide Konigii Bibliothecam Vet. & Nov. in voce SLUTERUS.

Digitized by Google

zerus eſſe plane deſierit. Qvæ res in omen tunc temporis à ſuis potuiſſet verti, qvod & ipſo cognomine DEI miniſter, qvi coelum peccatoribus clauſum poenitentibus recluderet, portenderetur, uti non inepte ſuo idiomate perſcribit B. Gryſenius. Neutiqvam autem hic ſilentio premimus, aliqvando etiam veri nominis veſtigia cerni in perverſa ejusdem pronunciatione hoſtium veritatis, ſumma tum vehementia ſemetipſi opponentium, qvibus familiare fuit eum Küter appellare. Qvod ſine dubio contumeliae cauſa ita egerunt, qvi Lutherum qvoqve veritatis vindicem impigerrimum, ipſis qvidem inde odioſiſſimum, freqventiſſimè non niſi Lüder vocitare non erubuerunt. Epitheta verò qvalia adjecta ſint nomini proprio colligitur èx ipſo, qvem intuebimur inferius, eorum in Sluterum affectu, qvi omni ope anniſi ſunt ut de ponte virum egregiorum meritorum multitudine affluentem dejicerent. Oſtenduntur tamen prae coeteris aliqvot â Gryſenio non ſane ê laudis titnlo depromta. Ita enim apud illos audiit homo innocentiſſimus: de verflöckede un verbannede Slüter / nec minus qvod nigris eum natura ornaſſet capillis barbaqve nigra de ſwarte Ketter.

§. V. Coeterum ſumma cura invigilaſſe optimos parentes prolis ſuæ expeditiori eruditioni, tametſi ejus rei peculiari deſtituamur teſtimonio, adeò non dubitamus, ut potius accedente parentum curae divina benedictione feliciſſime in literis progreſſum ſentiamus. Utraqve enim ſed hac praecipua munitus Academias petiit. Et in
„ noſtro qvidem Helicone, anno milleſimo qvingenteſi-
„ mo decimo octavo die decima qvarta menſis Aprilis
„ cum Venerabilis vir, Dominus & Magiſter Wolterſtorp
„ Utriusqve Juris Licentiatus in Rectorem Univerſitatis
„aeſtiva-

aeſtivalem electus eſſet, ſub ejusdem regimine menſis „ Julii d. 9. nomen profeſſus eſt. Qvod eo facilius fidem „ B. L. inventurum exiſtimamus, qvo fidelius in his Venerandi Almae hujus Albi auctoritatem ſecuti ſumus, qvem Magnificus t. t. Rector, Dnus. M. Hiltebrandus obtutui noſtro qvondam liberaliſſime exhibuit. Salutavit praeterea Wittebergenſem qvoqve Academiam, ſicuti id ex manuſcripto qvodam B. Dni. Lucae Bakmeiſteri (l) novimus, ibiqve B. Lutherum audivit. Eademqve ſtudiorum mater, ſicut haud falſo opinamur, publico tandem cum teſtimonio virtutis atqve pietatis Virum in utilitatem patriae terrae genitum dimiſit.

§. VI. Prodierat jam eo tempore Megalander ille, Lutherus noſter, magnum ſane & ſtupendum omnibus mortalibus miraculum praeparans, qvem & Ipſum Sluterum noſtrum ſaluberrima ſua proponentem audiviſſe memoravimus, & omnes ob Evangelicae doctrinae revocatam puritatem merito nunqvam intermoritura laude veneramur. Is impias (liceat nobis ea interfari, qvorum grata ſemper incidit memoria) Johannis Tezelii, petulantis illius veniae & fumi venditoris conatus non tantum reprobarat publice, ſcriptis eam in rem nonaginta & qvinqve theſibus ſuis, qvas aulico Templo contra Tezelium curaverat affigi; ſed jam qvoqve eo proceſſerat, ut omnibus tam nefandum exqvirendae pecuniae medium defendentibus ejus rei injuriam demonſtraret. Hinc Pontifex, qvi tunc praeſidebat, Leo X. ab Imperatore Maximiliano I. admonitus, ut controverſias modo inter Lutherum & Tezeliū ejusq; aſſeclas agitari coeptas abrumperet, ne, qvae Lutherus aſſeruiſſet, altius hominum mentibus infigerentur.

 §. VII.

(l) Hiſtoria nempe ejus Eccleſiaſtica R. Miniſterii Roſtochienſis, qvam ex communicatione admodum Reverendi Dni, D. Grapii Fautoris noſtri ſingularis inſpicere licuit.

Digitized by Google

§. VII. Tum ille Cardinalem Thomam Cajetanum ſubornarat ad lites has definiendas, qvi Lutherum Auguſtam evocabat. Qvo profectus Vir ἀνδάκρυτος, nullisqve argumentis minisqve licet graviſſimis â Cajetano adductus, coram Notario ac teſtibus â Pontifice male informato ad Pontificem melius informandum provocarat, & tandem, funeſtiſſima in caput ſuum conſilia odoratus, â Pontifice ad Concilium. Hinc Heidelbergam poſtulatus, in tranſcurſu ab Epiſcopo Würzburgico, & poſt Heidelbergae, â Comite Palatino Wolfgango, optime habitus, inibi in Coenobio ſui Ordinis diſputationem ſuſcipiebat de Juſtificatione & fide. Inde Wittebergam reverſus, edita theſium ſuarum contra ſpiritualium illam nundinationem, a Tezelio publica auctoritate inſtitutam, ulteriori declaratione, cujus ſcriptum manu exemplar Leoni X. jam ante inſinuari curaverat, cum iter in Gallias vel aliorſum ingredi meditaretur, ab hoc autem propoſito Sereniſſ. Electoris ſui Friderici juſſu, partim Bohemorum incitamentis, ad ſtrenuo curſu continuandas pontificiae doctrinae oppugnationes avocatus cum Carolo â Miltiz agere coeperat Altenburgi, qvo Tezelius evocatus non comparebat.

§. IIX. Collocutus deinde Lipſiae cum Joh. Eccio, & Andrea Carlſtadio, adverſariumqve â colloqvio Lipſienſi Hieronymum Emſerum nactus, Tezelium periculoſo implicatum morbo ſolatus eſt. Qvo defuncto, poſteaqvam pluribus locis Pontificii, qvos conformes divinae veritati Lutherus univerſo humano generi conceſſerat tractatulos, exuri curaverant, ipſe qvoqve in praeſentia multorum Studioſorum Magiſtro qvodam materiam ignis colligente, Bullam Pontificiam, qva niſi ante decurſum ſexaginta

gınta dierum in gratiam cum Eccleſia Pontificia rediret, excommunicationem ipſi minatus erat Pontifex, una cum corpore juris Canonici, nonnulliſqve adverſariorum ſcriptis incenderat. Seqvente anno Wormatiam, cum ſociis, ab Imperiali praecone Caſpare Sturmio deductus, invitis licet iis, qvi diverſis locis ei favebant, & ab ejus ſtabant partibus, ibidem praeſentibus tot Illuſtribus viris contra Eccium cauſam ipſe peroraverat. Qvo ipſo tamen nihil prorſus effecit: ſiqvidem poſtero menſe publico edicto Haereticus habebatur, & proſcriptionis, ceu Impoſtor, ferula percellebatur. Mox Warteburgum ſimulata fautorum vi coactus pervenerat. Verū inde Wittebergam ſuorum precibus denuo delatus cum Andrea Carlſtadio rem egerat, qvi in ipſius abſentia imagines ad ornanda Templa collocata dictitaverat dejicienda: & paulo poſt cum Anabaptiſtis diſputans Marcum Stübnerum, & Martinum Cellarium ita convicerat, ut eodem adhuc die ſolum civitatis mutarent. Verſionem ſuam librorum Novi T. jam qvoq; ediderat Lutherus, cum Nicolai Storkii, Thomae Münzeri, & aliorum Prophetias recentes impugnaret, & in Ducatu Anhaltino Evangelium praedicaret.

§. IX. Hoc ergo, qvem pauciſſimis deſcripſimus, Lutheraniſmi ſtatu, faſces Imperii pariter, atqve Hiſpaniarū regni habebat Carolus Primus, ſi Hiſpaniae Regum ordinem, Qvintus vero, ſi Imperatorum ſeriem reſpicias, dictus, acer conſiliis Heros, & manu promtus. Megapolitanae terrae vero, bipartito, qvod tum viguit, Imperio, jus dixere Sereniſſimi Fratres Henricus, cognomine Pacificus, (m) & Albertus, ob egregiam corporis ſpeciem, Pulchri in hiſtoriis ſortitus nomen.

(m) Nec minori qvidem jure, qvam qvo Auguſtiſſimus Fridericus IV. Imperator Romanus ſuperiori ſeculo circa annum 1430. eodem cognomento inſignitus eſt, Vid. Ib-

§. X. Singulari vero SLUTERUM Glorioſiſſ. Henricus, gratia complexus eſt, & uti poſtea annotabimus etiam ſacri miniſterii partes eidem in urbe concredidit. Id nunc non dimittimus, qvod per biennii ſpacium in Schola tunc ad D. Petri Templum frequentata juventutem ſaluberrimis ſuis formaverit praeceptis, multoqve fideliſſima opera, qvam in profectus eorum adaugendos contulit, qvi fidei ipſius erant commiſſi, magnum ſibi civium conciliaverit amorem. Exemplo id declarat Gryſenius (n) Schmidii cujusdam nomine, vitae vero pro-

---

Joſephus Julius ab Hörnman in Vitis Imper. à Carolo M. ad noſtra tempora: Princeps, qvem qvisq; in tantum utiq; admiratur, collaudat, & vel ſanctiſſimis ejus manibus gratulatur, in qvantum coeleſtem ejus virtutem & heroica facta cognoſcit atq; contemplatur. Veritatis evangelicae aſſertor vigilantiſſimus atqve integerrimus. Non omittemus hic, qvod obſervatum videmus in manuſcripto qvodam antiqva Mekelnburgica continente Viri Plurimũ Reverendi Dni. Statii h. t. Paſtoris Eccleſiae Dobberanenſis, & Circuli ejus Senioris fidiſſimi pariter, atq; merentiſſimi, benevole nunc ab eodem conceſſo: conſtituiſſe nimirum Optimum Principem Schmalcaldico foederi intereſſe, perſvaſum autem à Cancellario ſuo Caſpare à Schöneich/ cum eqvo ſuo jam eſſet inſeſſurus, propoſito renunciaſſe. Coeterum ad virtutes hujus heroris fuſius nunc exprimendas non accedimus, cum vel ex lapide poſt glorioſiſſimum ejus obitum, in memoriam tanti Ducis, Sverini in Templi Cathedralis Choro majori ad dexterum altaris latus erecto feliciſſimus earum complexus obſervetur. Communicabimus qvae ibi leguntur, & ab admodum Reverendo Dno. Schumanno Eccleſ. Cathedralis Sverini Paſtore Primo meritiſſ. Affineqve & Fautore noſtro aeſtumatiſſimo benevole nobis transſcripta ſunt:

DEO. OPT. MAX.
OPT. PRINCIPI. HENRIC. MAG-
NI. FILIO. DUCI. MEGAPOL. VERAE.
RELIGIONIS. SANCTAE. JUSTITIAE.
ET. DIUTURNAE. PACIS. CUSTODI.
JOH: ALBERTUS. DUX. MEGAPOL.
PATRVO. SVO. CHARISS. AC. BENE. MERITO.
MEMORIAE. POSVIT.
A. V. LXXIII. D. S.
OBIIT. SVER. VIII. ID. FEBR.
ANNO M. D. LII.

(n) in Hiſtoria van der Ler/ Levende und Dode M. Joachimi Slüters nevenſt einer Chroniken ad ann. 1593. Roſtok dorch Steffen Müllmann An. M. D. XCIII. ad ann. M. D. XXIII.

Digitized by Google

profeſſione Chirurgi, qvi, licet ad Nicolaitanam curiam pertineret, per integrum tamen illud ſpacium, qvo juniorum eruditioni vacaret, SLUTERO de victu absqve ullo ad ſe redundante pretio liberaliſſime proſpexerit.

§. XI. Mox Eccleſiaſtes Petrinae Eccleſiae conſtitutus aperte Papatus dogmata reprobavit, & doctrinam Evangelii, uti â Luthero praedicari coeperat, verbo DEI conſentaneam propoſuit publicè, anno nimirum milleſimo qvingenteſimo & vigeſimo tertio. Sed qvi tunc opinionum ſuarum nubes pro Junone, & figmenta Siculis gerris vaniora pro veritate tenaciter amplexarentur, huic qvoq; non deerant loco. Etſi enim maxima hominum multitudo ad eum de Cathedra in Div. Petri Templo dicentem, & Pontificios errores magna perſpicuitate & fide percenſentem conflueret: imo haec avidiſſime auſcultantium freqventia tandem etiam concitaret oratorem, ut auditorium ſolenne cum circumjecto κοιμητηρίῳ, commutaret (o), non qvievit tamen exitioſa piis impiorum homi-

(o) Non poſſum, qvin hac occaſione meminerim, qvod Boizenburgi ad Albim eodem accidit ſeculo, ibidemq; ex fide dignis percepi: nimirum primus Eccleſiae Boizenburgicae Doctor Evangelicus, B. Joh. Wesken, cujus epitaphium adeuntibus in ſiniſtra altaris parte etiamnũ viſitur primam ſub tilia qvadam in coemeterio orationem ſuam habuit, qva finita cum univerſa concione templum ingreſſus eſt, idemqve veritatis reſtituit cultui. Mortuo d. 3. Febr. 1568. ſeqventes facti ſunt verſus, qvos monumento ejus inſcriptos nunc etiam cum L. B. communicabimus:

Wo findt man ware Ruh' / als nur in JESUS Wunden?
Dieß iſt es/was ich dich/ mein Boizenburg/ gelehrt;
Was ich dich hab gelehrt / das hab ich ſelbſt befunden /
Nun bin ich hoch genug in JESU Schoß geehrt.
Mein Leſer merke dieß / und wann du ſanfft wilt liegen /
So ſuch in Chriſti Blut/ und offner Seiten Ruh
Hie lege dich herein / hierinnen laß dich wiegen /
Und drükk denn/ wenn du ſtirbſt/ getroſt die Augen zu.

Digitized by Google

hominum turba, & ſecundum Lindenbergii teſtimonium plus qvam vatiniano & novercali odio fidiſſimum DEI miniſtrum perſeqvuta eſt. Qvid vero mirabimur, ſi in his, qvi contra SLUTERI doctrinam initio ſteterunt, eamqve totam cupierunt evertere, urbis qvoqve iſtius temporis Senatum fuiſſe percipiamus? hic enim facili negocio â furente Clero Pontificio, hiantiqve ore nil niſi doctrinae corruptelas veritatisqve depravationem cauſante, potuit adduci, ut non minus qvam ipſemet innocentem hunc praeconem affligtaret.

§. XII. De qvanam doctrina potiſſimum diſceptarit cum Pontificiis, id eqvidem perſpicue ſatis colligitur ex eo, qvod tam cito graviſſimas Profeſſorum, Canonicorum, Monachorumqve perſecutiones perſentiſcere coactus eſt. Hi vero fidei ſedulam commendationem, veriſſimam virium humanarum infirmitatem, abuſuumqve commendabilem maxime contemtum minus ſecundis auribus percipiebant. Inqve his explanandis praecipuam ponebat operam Vir laudatiſſimus, qvod praeter coeteros fuſius exponit eximius ille veteris aevi Hiſtoricus David Chytraeus (p) zu Roſtock hat die reine Lehre des Evangelii JOACHIMUS SLUTER, zu Dömitz an der Elbe bürtig / in St. Peters Kirchen zu lehren / und die Papiſtiſchen Irrthumb und Mißbräuche zu wiederlegen / und von dem Verdienſt unſerer Werke / und dem Aberglauben auff Menſchliche Satzungen zu dem einigen Gnaden-Thron und Heyland JEſu CHriſto / und rechten waren Gottesdienſt / in GOttes Wort gegründet und geboten ſeine Zuhörer zu füren angefangen. Hinc ſortem ejus impetentes undiqve injuriae crudelius aggravarunt, Laicorum etiam magna parte Cleri ſui dicto audiente, ſicut apud eumdem

(p) in der Sachſen Chronica ad annum 1523, tom. I. p. 373.

Digitized by Google

dem Chytraeum legitur l. c. welchem anfänglich nicht allein die andern Paſtores, und die Thumbherren/ ſo wol auch die andern Theologi, und Profeſſores der Univerſität/ ſondern auch die Oberkeit/ und Regenten der Stadt zum hefftigſten zuwieder geweſen. Plebis etiam vehementia acceſſit, qvae ludibrio laeſit hominem omni culpa vacuum, & ſaepius uti grege facto cum telis ad eum decurrit, qvibusqve potuit unqvam malis ſalutem ejus oppugnavit. Tantopere impetuoſorum hominum crudelitas vagabatur & licentia, ut nec interdiu absqve inſectationibus in publicum prodire, nec ſecurus noctis tempore in aedibus ſuis degere potuerit, ſed vel in piorum, qvi veritatis ſenſui non fuerant refragati, domiciliis latitare, vel etiam extra civitatem ante Petrinam portam verſari ipſum oportuerit: qvod ipſum multoties eſſe factum, & extra civitatem plurimas noctes ſuſpiriis atqve gemitibus, aeſtivo praeſertim tempore, transmiſſas Gryſenius teſtatur.

§. XIII. Circumventus deniqve cum tot injurias tempeſtateſqve undiqve occurſantes ſibi toleraſſet, ab inimicis praeceps actus, & ſolum vertere coactus eſt, eodem ao. 1523. ſecundum Gryſenium. Ita exeſſe è civitate juſſus integros anni dodrantes tres in exſilio manſit (q). In qvo tamen ſemel proturbato fuiſſet perſiſtendum, niſi Sereniſſima Glorioſiſſimi Principis Henrici gratia, à qvo primum Eccleſiae Petrinae erat commendatus, exſultationisqve tempore de neceſſariis vitae ſubſidiis proviſus, muneri eum pariter atqve civitati reſtituiſſet. Utrumqve non uno factum eſt tempore. Eqvidem urbe non ultra tres anni partes caruit, miniſterio tamen anno demum ſeqvente vigeſimo

(q) Vid. Gryſenium l. c. & ex eo rem deſcribentes B. Lindenbergium, & Dn. Polzium.

vigeſimo ſexto iterum fuit admotus. Ita enim Gryſenius: Wat unſem vorgedachten Herrn Jochim Slüternalhier belangende deit / ſo is derſülve wedderüm alhyr tho Roſtock upt nye van Hertog Hinrick tho Mekelnborg dem Chriſtlycken Förſten an ſynen vörigen Ort tho St. Peter hengeordnet. (r) Lindenbergius etſi haec minus diſtincte ſignificet, repetiiſſe Urbem ait Sluterum utriusq; Sereniſſimi Principis Henrici & Alberti juſſu, civiumqve primariorum, magno zelo eandem doctrinam omni voto expetentium; & Magiſtratui ejus temporis hac de cauſa ſe opponentium, precibus.

§. XIV. Moram autem, qvam hic pati debuit Sluterus, donec ſuo redderetur muneri varia turbulenta dubio procul injecerunt, qvae partim Germaniae, partim Sereniſſimae Mekelnburgicae Familiae acciderant. Ut enim de hac primum qvae dicenda ſunt, afferamus, diem obierat ſupremũ Sereniſſ. Electoris Palatini Filia, qvam in matrimonio habuerat Princeps virtute excellens, fautor & Patronus Sluteri ſingularis Henricus. Coeterum tota fere Europa undiqve bellis aeſtuabat, hinc ruſticis inſanientibus, illinc Galliae Rege Franciſco I. magno ſtrepitu graſſante: alibi Turcarum Imperatore atrocia moliente.

§. XV. Interim laudabiles etſi conatus Anteſignani noſtri plurimis inſidiis appeterentur, infructuoſi tamen non erant, qvippe ipſius Omnipotentis ſanctiſſimo afflatu dudum incaleſcentes. Tum verò Zwinglius & Carlſtadius ſua propugnabant dogmata. Qvibus cum ſibi augmenta, Lutheroqve nocumenta qvaererent, id ſolum obtinuerunt, ut non ubivis tam citum aſſenſum inveniret, eradicare autem ſanctiſſimam ejus doctrinam ex animis

(r) Vid. Gryſenius ad ann. 1526.

animis fidelium, & eliminare neutiqvam poterant. Sed de his nobis ſermo non erit inſtituendus, ne ſcriptionis currum extra orbitam in circo agere videamur.

§. XVI. Revertimur igitur ad Sluierum, qvem año ejus Seculi XXVI. Gryſenius, & per utrumq; Seren. Principem munus ſuum repetiiſſe ſaepius jam adductus Lindenbergius teſtimonio ſuo comprobavit. Statim vero, poſt receptum munus, rediit etiam ad alacerrimam divini ſui Evangelii praedicationem, ob qvam paulo ante expulſus erat. Et Dominicis qvidem Feriis avidae concioni Evangelia & Epiſtolas, conſvetos ex antiqvitate textus, expoſuit; Lunae vero diebus, ê Propheticis deſumta & Apoſtolicis Scriptis loca interpretatus eſt, Prophetiae Amoſii immortuus tandem, cũ ad capitis qvarti explicationem perrexiſſet. Pontificios vero errores graviſſimos, eorumq; deteſtabiles abuſus, & ratione, & oratione convellere, & divinitus inſtituta Sacramenta rite adminiſtrare nunqvã deſtitit. Ita de eo Gryſenius: Ock heft he de Hochwerdigen H. Sacramente na Chriſti Inſettung vorrichtet/ und dat H. Aventmal under beyderley Geſtalt den Cōmunicanten vorreket/ und alſo den Minſchen den rechten Wech thom ewigen Levende gewyſet/ ock gantz flytich unde ſehr trůwlick de Lůde van der valſchen Lere der Papiſten affthoſtande vormanet/ uñ mit guden Grunde der H. Schrifft eigentlyken dargedan/ und mit Gades Worde důdtlycken bekrefftiget/ dat de Luttheriſche Lere/ de rechte Evangeliſche Warheit were. Des Paweſtes Lere ôverſt eine Důvelſche Antichriſtiſche Ketteriſche Lôgen/ welcke de Minſchen up ere eigen Wercke wyſede/ in Vorttwyſelung vôrede/ und thor ewigen Verdômeniſſe leydede. (s) Qvo in negocio qvoq; ſaluberrimo, & per tam longinqva ſpacia â probatioribus fruſtra

 reqvi-

(s) Vid. Gryſenius l. c.

reqviſito, maximos, DEO auxiliante, fecit progreſſus; ut compluresPontificiam ſuperſtitionem deſererent, & SLUTERO aſſentirentur.

§. XVII. Magna vero iterum ad eum confluxit hominum multitudo, cum ſacra in Petrina Aede procuraret, aeſtatis eo praeſertim tempore, ut Proceſſionibus etiam Pontificiorum, ſi qvas habuerunt, (qvas tamen freqventiores ad ipſum perorantem conturbandum tunc inſtituerunt) & effuſis ſuis cantionibus ipſi amplius obeſſe non potuerint. Sed nec ſuffecit amplius freqventiſſimae iſti coronae, ordinariū auditorium unde SLUTERUS etiam ſub ſpatioſiſſima tunc temporis tilia Septentrionem verſus collocata, de umbone dicere non dubitavit. Cujus doctrinas avidiſſime hauſit coacervatū auditorū agmen, qvi vel ex ultimis Civitatis oris ad eum collecti hinc inde diſpoſiti conſiſtebant. Ita enim B. Dn. Bacmeiſterus de SLUTERO noſtro: „Fuit tantus auditorum paulatim concurſus in Templum Petrinum, ut omnia ejus loca, & circuitus qvoqve Templi ſuperiores pleni & conferti eſſent auditorum, qvoties habebantur conciones â SLUTERO; praeſertim diebus Dominicis, qvibus ternas habuit conciones. Tandem igitur aeſtate coactus fuit propter nimium calorem, ex multitudine hominum excitatum, in coemeterio ſub magna & late extenſa tilia arbore verſus portam S. Petri concionari, ex cathedra ibidem poſita, populo ex omnibus coemeterii partibus & in feneſtris vicinarum aedium conſiſtente, & magno ſtudio docentem audiente (t). Id ſane non parum mirabile eſt, qvod teſtimonio ſuo probat Gryſenius, multos grandaevos ex platea, qvae â coeno nomen habet, & ex ea regione, ubi Croeplinenſis, necnon Bramovienſis porta

etiam

(t) Confer dictum ſuperius manuſcriptum.

etiamnum viſitur, doctrinae fama ad eum concitatos totum diem ibi conſumſiſſe, ut non ſolum matutino tempore docenti auſcultarent, ſed & pomeridianis horis oranti attenderent: pluresqve, ne cujus penuria conficerentur, & attentionem deponerent, cibi potusqve neceſſaria ſecum apportaſſe, qvibus feſſum corpus refecerint.

§. XVIII. Interponenda hic eſt opportuniſſima illa occaſio, qva veritati Evangelicae multo exoptatiſſimae fiebant animarum acceſſiones, ſcilicet diſcrepans ea opinionum Dominicanos inter, & Franciſcanos, de immaculata B. Virginis conceptione, diſſenſio, his eam acerrime defendentibus, illis vero eamdem non minore vehementia inficiantibus, de qva conſulendi, qvi ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam conſcribendam operam ſuam contulerunt. Ortum iſtud diſſidium jam dudum ante, tum qvoqve Roſtochii vehementiſſime ab utraqve parte agitabatur. Qvin, ad convicia lis haec proficiebat, qvae invicem graviſſima jactabantur, idqve in publicis congreſſibus. Dominicani iſthoc aevo coenobium ad Aedem S. Johan. magno numero incolebant: Franciſcani ad Templum D. Catharinae ſacrum verſabantur. Diſſidentibus autem his, non modo, qvi de fece erant plebis, ſed ex primariis etiam & qvi civitati erant â conſiliis, Papiſmum coeperunt abominari. Qvod, in complurium praeſentia, exprobraſſe dicitur Conſul aliqvis, qvem his literis ſignat Gryſenius H. H. G. Dominicanis, & inter alios Michaeli Rotſteinio, magnae tunc auctoritatis Monacho, his verbis: He wüſte und könde den Dominicaner Mönnecken tho S. Johannis nu vördan nicht mehr raden noch helpen / dewyle ſe ere Lere ſülveſt by ydermanne öffentlyken ſtinckende makeden.

§. XIX. Is ipſe Rotſteinius coeteris ea tempeſtate dicendi gloria praeſtabat, & cū Priore ſuo, qvem Cornelium Theologiae Doctorem oſtendit jam citatus Autor, multum pollebat auctoritate, qvod primates civitatis apud eum peccata ſua confiterentur. Convertit autem omnes animi corporisqve conatus ad doctrinam Evangelicam, prout â SLUTERO ea indefeſſo ſtudio inculcabatur, deſtruendam, & ê mentibus eorum, qvi ſe ei jam addixerant, iterum eradicandam penitus, atqve exſtirpandam. Igitur moloſſo mordacior publice eam ceu abominabilem & ab omnibus deteſtandam accuſavit, precibusqve ſuis efficere juſſit auditores ſuos, ut SLUTERUS non minus qvam LUTHERUS incendio perirent: ſicuti id ſupplicii genus coeteris haereticis, & ſuperiori tempore Johanni Hus accidiſſet (u). Inter orandum qvoqve non dubitavit duri-

us

(u) Ita enim ex more ſuo in eos debachandum ſtatuebant, qvos perverſitatis ſuae impigerrimos habuerunt Cenſores: non minori qvidem mentis hos coecitate, qvam primos Chriſtianos, vel ſola nominis audita appellatione, trūcidandos dictitarunt iniqviſſimi illi perſecutores. Qvod ipſum, qvin iñumeris confirmari poſſit exemplis, nemo dubitaverit. Sed placet, praeter SLUTERUM noſtrū, teſtem hujus rei afferre, qvem ad mortem usqve afflixerunt, Bartholomæum Battum, & vix intermittentibus aliqvando injuriis acerrime perſecuti ſunt, civitateq; ſua prohibuerunt; cujus faciem Tabula in Templo Roſtoch. Mariano, vitamq; multis periculis tandem exhauſtam ſeqventes exhibent verſus: qvos anno 1561. demortuo marito fieri curavit uxor & liberi, correctis vitiis pictoris, ita habentes;

Plurima perpeſſus qvondam qvi nomine CHRISTI
    Damna, ſub hac recubo BARTHOLOMAEUS humo.
Sole ſub occiduo cunas praebebat Aloſtum,
    Lambit ubi Tinarae fertilis unda ſolum.
A puero placuere ſacri myſteria verbi,
    Illuſtrata tua, Magne LUTHERE, face.
Hinc ego Pontificum fraudes artesqve peroſus
    Sincerae ſubii relligionis iter,
Qvaqve DEUM potui, colui pietae fideqve,
    Atlas in CHRISTUM fidere ſolus erat.
Non placuit ventris ſtudium, qvod Turba moratur,
    Coeperat hinc ſtudiis eſſe inimica meis.

In-

Digitized by Google

us invehi in eos, qvibus libellos, nullum vero Pater noſter, ut vocant, adeſſe vidit, admonuitqve, ut ſibi caverent, ne qvando lectione Lutherani libelli efficerent, ut inexſtingvibili immitterentur incendio: qvaſi vero futilis & fruſtranea ipſorum indulgentia (x) ipſa veritate tanto eſſet probatior!

Inſidias ſtruit, & falſo mihi crimina fingit,
Donec ab hac duro carcere clauſus eram.
Sicqve tenebroſo deſedi ſqvalidus antro,
Dum noctes Phoebo Cynthia juncta fuit.
Hollandae Proceres tandem (ſit gratia CHRISTO)
Exemtum veteri reſtituere loco,
Feceruntqve ſuae civem me protinus urbis,
Doctor ubi fidei bis duo luſtra fuit.
Sic tranqvillus eram, donec gravis ira reſurgens,
Et furor, & triſtes me petiere minae.
Inde meo capiti ferrumqve ignemqve parabant,
Heu qvantum vera eſt in pietate crucis!
Exſilio mutare domos patriamqve coactus
Conjuge cum cara, pignoribusqve tori,
Plurima ſuſtinui, terraqve, mariqve, pericla,
Taedia multa viae, taedia plura maris,
Donec ad haec tandem deflexi littora curſum,
Qvo verae hoſpitium relligionis erat.
Qvaeqve ſuperfuerant, confecto tutius aevo,
In ſtudiis ſumſi fata ſuprema meis.
Et mea me tumulo conjux, prolesqve novena
Condidit; æterna eſt mens mea juncta DEO.

(x) Exemplum ejus ſi cupiat Benevolus Lector, jungimus ſtatim egregiae fidei, ſed magnae qvondam ſuperſtitionis literas veniam promittentes, anno 1398. pro ut ex adjunctis verſibus aliis elicit Lindenberg. lib. V. cap. VI. p. 156. ſcriptas, qvas etiamnum lapis qvidam muro AEdis Marianae Roſtochii, verſus Grapheum, ad ſiniſtram portae meridionalis partem introeuntibus, monſtrat, ſcriptura iſtis temporibus uſita nobis qvidem lectu paulo difficiliori, ſeqventem in modum:

Witlicken ſy allen Chriſtenen Lüden/ de de Hülpe uñ Troſt in eren Nödē und Sundheit/ in eren Kranckheiden begheren/ dat Gott vermiddelſt ſiner Könnygl. Moder Marien/ ſint der Tyd/ dat ere Bilde der Löſinge eres Kindes Jheſu Chriſti vanme Krüce in deſe Kerckē qvam/ vele groter Wunderteckene gedan hefft/ uñ noch deit alle Dage in denghenen/ de ſick hier gelavet hebben in eren Nöden.

En opinationem ſtolidiſſimam, & aeterno dignam ſilentio, irreparabili funere!

§. XX. Plures coeteroqvin Clericorũ pro aris ſuis fremebundi decertarunt, contra veritatis noſtrum vindicem, SLUTERUM, non verbis tantum, ſed re ipſa qvoq;, modo ſane inexcuſabili. Et horum indolem ſecuti etiam ſunt ê civibus non pauci, qvibus cum priores funeſta inire conſilia, ut SLUTERUM è viventium conſortio tollerent. Calcar enim ipſis ſine dubio addebatur Enchiridio illo locorum communium adverſus Lutheranos, qvod celebratiſſimus ille Pontificiorum Doctor, Johannes Eccius exſcripſerat, & hic etiam fratres Monachi in coenobio S. Michaelis, qvod poſtea teſto Lindenbergio Academiae concilio & Studiorum habitationi, anteqvam incendio deformaretur, deſtinatum erat, (y) jam vero in armorum Civitatis ceſſit uſum, publici fecerant juris.

§. XXI. Qvid mirum igitur, ſi & venenum in caput ejus comparatum audiamus, ut eo citius vitam, qvam invito adimere non poſſent, inſcio & incauto eriperent? Neqvicqvam tamen in tantum facinus conſenſerunt ſcelera, cum invito Numine divino nihil in SLUTERUM iſthoc adhuc tempore tentare poſſent. Jam vero teſtem habemus minime fallacem, illum ipſum, qvem ſaepius jam citavimus Gryſenium, incitatum aliqvando SLUTERUM ab iis, qvi neutri tum controvertenti parti aperte accederentê coenobio Franciſcanorum, ut convivio intereſſet; eumq; nec promiſiſſe modo ſe adfuturũ, ſed ſtato tempore comparuiſſe etiam non tam cibis corpusq; animumqve refi-

den. Wehr hir ſine Allmoſen tho gifft/de hefft LXXII. Werve/C. Dage Afflates/ und LV. Karenen. Cujusmodi plures adhuc Ribbenitii aſſervari Max. Rev. Dn. D. Fechtius, Patronus meus omni veneratione colendus nuper fidem fecit.

(y) vide Lindenbergii Chronic. Lib. V. Cap. V. p. 158.

Digitized by Google

reſiciendi, qvam veritatis confeſſione ibi qvoqve nonnullos in ſententiam ſuam adducendi, & in eadem confirmandi gratia. Tum vero puellam, qvae aſſandas carnes continuato motu verterit, introeuntem clam admonuiſſe, abſentibus adhuc hoſpitibus reliqvis, ne qvid ejus carnis, qvam aſſaret, deguſtaret, ſeqventibus verbis: O leve Herr Jochim/ethet yo nicht van diſſer Brade/wente dat ys Vorgifft ingedan / up dat gy nicht des Dodes ſterven mögen: ſicuti ea hoc tenore leguntur apud Gryſenium. Qvo factum, ut acceptus ab iis, qvi praeſentes erant, introierit qvidem caenaculum, ſed mox clavem e muſeo, qvod invitus pateretur ſe abſente viſitari, nondum extractam cauſans, domum repetierit. Fidem dederat reditus; verum apertiſſimum, qvod incurrere videbatur, periculum domi facile eum detinuit: ne pervicacius DEI providentiam experiretur. Et hoc qvidem interdiu ipſi paratum erat venenum, plures vero etiam noctu eodem nocumenti genere ipſi inſidiabantur.

§. XXII. Profecto plurima ſunt, qvae Viro Venerabili â privatis illata legimus incommoda, & ſine dubio plura etiam, qvam â Gryſenio fidiſſimo coeteroqvin eorum, qvae in Sluterum acta ſunt, Scriptore, in literas relata. Commemorat is etiam injuriam, qva affectus ſit â temerario qvodam Pontificio Sacerdote, nomen habebat Dionyſ. Schmidt, qvi pice obduxerit foribus ejus inſcripta verba: Gades Word blifft in Ewicheit. Annectit autem coecitatis calamitatem, qva non multis poſt diebus idem hic â DEO fuerit punitus.

§. XXIII. Verum privata tamen pleraqve haec fuere ſuſcepta auctoritate; id publicis forſitan perſonis fuerit tribuendum, qvod protractus ex aedibus ſuis carceri deſtinatus eſt, niſi infeſtis eorum manibus, qvos huic mi-

niſterio

Digitized by Google

niſterio ſubornarant, optimum Doctorem jamjam ſuae in carnificis domicilio caveae imminentem collecti absqve mora freqventius Evangelici eripuiſſent.

§. XXIV. Jam, qvod ipſi SLUTERO non poterat obeſſe odium, ii qvoqve, qvorum ſtudia ad bonum Eccleſiae ordinem reqviri videbantur, erant prohibendi, ne SLUTERO operam ſuam praeſtarent. Igitur interdicebatur etiam cantoribus, ne, qvando Evangelici cujusdam SLUTERI doctrinae adhaerentis corpus humandum eſſet, cum cantu illud ſuo, & diſcipulorum curarent efferri. Verum enim vero, nec deſiderarunt amplius Scholarum operam Evangelici, cum earum vices ex artificibus non pauci voce prae coeteris excellentes ſemel reſarſiſſent. qvorum ſingula paria ante funus progredientia cantu ſuo atqve comitatu inſignem funeri honorem habuere. Et hanc qvoqve conſvetudinem ad tempora plenioris Reformationis uſqve, donec Scholae etiam fuere transformatae, duraviſſe legimus. De coetero, qvae noctis tempore (qvod jam ſuperius attigimus) medicamenta fuerint cocta, qvaeqve venena diluta, unus ille ut deleretur SLUTERUS, ſtupentes atqve attoniti, exponente illud magna fide Gryſenio, legimus. Siqvidem & in eos ſaevitum eſt, qvi rationis expertes Dominum ſuum ab inſidiis oppugnantium defenſabant. His venenatas objecerunt placentas, qveis ineſcati turgentes vitam profunderent; dubio procul, ut tanto latentius absq; latrantium indicio & oppugnatione ad eorum Dominum contenderent. Itaq; qvod mirari ſubeat, plusqvam novem canes, inevitabili hoc malo intumeſcentes, vitam uno anno amiſere, qvi fuit qvingenteſimus & viceſimus ſextus.

§. XXV. Non minor eo, qvi ſecutus eſt, anno in optimum SLUTERUM noſtrum rabies graſſata eſt, hinc

maledictis

Digitized by Google

maledictis eum onerantibus, illinc digitis commonſtrantibus, ê munitiſſima qvi erant Gentis Pontificiae cohorte. Nec obſcurae fuerunt eo temporis tractu impuriſſimae, qvas effudit Clerus implacabilis, comminationes, & affectata cultus ad normam Evangelicorum diſſvaſio, praecipueqve audientiae Slutero concedendae: ſe ſcholden nicht tho S. Peter in den Sermon / edder Predige ghan / und den vorflöckeden / und vorbanneden Slüter hören / up dat men nicht möge int Fegfür / und in de Hölle kamen. Blaſphema conſulto nunc tranſimus ſilentio.

§. XXVI. Qvibus omnibus etſi cupidae veritatis Evangelicae mentes deterreri non potuerunt, qvo minus ſedulae orationibus indefeſſi hujus praeconis intereſſent, adducti tamen plures ſunt mariti, ut piis ſuis uxoribus Petrinâ Aede penitus interdicerent, & nihilominus refragantes crudeliſſimis verberibus contegerent. Aſt cum ne ſic qvidem velociſſimus Evangelii revocati curſus impediretur, data maritis perpetuo ſapientiſſima hac, eademq; ſine dubio ſanctiſſimi Spiritus inſtinctu concepta reſponſione: DEO magis obediendum eſſe; etiamſi vel ad mortem usqve affligerentur, malle ſe puritatem Evangelii haurire, & pro ea martyrium pati, qvam â Diabolo aeternum excruciari; praeterea etiam compluribus eo de plebe convolantibus, contemni omnes ſtrenue perſeverarunt, & cachinnis, conviciisqve patienter affici (z). Ortum etiam tunc eſt proverbium, inferioris tantum conditionis homines, rerumqve imperitos & rudes Sluteri doctrinis ſubſcribere, Magnatibus contra à parte Pontificiorum ſtantibus immobiliter. Voces illius dicterii, qvo magis ridiculae, eo minus hic ſunt praetereundae: Hüßken Slüßk und Progerye / geith tho S. Peter in

(z) Vid. Gryſen, ad ann. 1527.

de Predekye. Qvód tamen qvam longe per omnia tempora abſuerit â veritate, jam citatus Dn. Bacmeiſt. perſpicue „ ſatis expoſuit: Etſi vero Senatus urbis hui c SLUTERO valde infenſus fuit, tamen aliqvorum ex illo ordine corda „ aperuit Deus, ut, ſemel audita concione SLUTERI, deinde „ magis audire eum deſiderarent. Horum unus fuit parens Dn. Thomae Gerdes/poſtea Conſulis Roſtochienſis facti A. 1562. qvi adeo delectatus fuit donis, & pietate „ SLUTERI ſemel audita, ut ad matutinam ejus concionem, „ in tenebris praeferente parvam laternam filio iſto ſuo „ ſemper poſtea acceſſerit, metuens Conſulum, & Senatus reliqvi offenſionem, qvi ſevere interdixerat omnibus in ſuo Ordine, ne haeretici illius (ſic enim SLUTERUM „ vulgo appellarunt) conciones qvisqvam accederet. „ Haec ex ipſo Dno. Conſule p. m. olim audivi, qvi & haec „ addebat, ſe qvoqve eadem occaſione coepiſſe SLUTERUM „ amare ac magnifacere, & veram religionem ex ore „ ipſius didiciſſe.

§. XXVII. Ipſi SLUTERO non ſemel calceos una cum baculo in aedes ſuas interdiu eſſe intromiſſas, noctisq; tempore alios foribus aedium affixos, ut loco cederet, civitateqve exiret, plane non miramur, qvem tot gravioribus facinoribus novimus appetitum, longeqve pluribus, ante beatum ê ſtatione ſua diſceſſum, fatigatum eſſe mox percipiemus. In qvibus forſitan maxime nefarium videtur, qvod teſte Gryſenio aliqvoties hominem innoxium domi ſuae, qvi delegati ad hoc negocium erant, luſtrarint, domine eſſet? utrumve ſolus, an vero cum aliis ibi degeret? qvo iis, qvi negocium hoc commiſerant, renunciarent, ut opportuna tandem occaſione deſtitutum omnisqve opis indigentem in aedibus ſuis inultum opprimerent.

§. XXVIII.

Digitized by Google

§. XXVIII. Non aberrabo, ſi Dominis ſuis miniſtros hos neqvitia, ſaevaqve crudelitate plane non ſecundos fuiſſe ſentiam. Qvid enim immanius hoc hominum genere? qvid inſano aeſtu indignantius? qvi cum praeſentem non inveniſſent, (cedere enim malebat injuriae, & in amicorum domibus occuli, qvam apertum diſcrimen exſpectare;) ubiqve domi ejus corvos viſos eſſe vulgaverunt, qvo magiae addictus haberetur, ſaltem in ſuſpicionem tanti criminis vocaretur, & tanto magis ab eo omnes abhorrerent.

§. XXIX. Abrupit aliqvantisper intolerabilem hanc calamitatem gratioſiſſima ſua praeſentia HENRICUS, Princeps omnis aetatis ac memoriae optimus, qvi SLUTERUM benigniſſime accerſitum percontatus eſt, utrum omnia ipſi ita contigerint adverſa, prout fama ad ſe perveniſſet? Qva vero audientiae gratia ſic uſus eſt Vir ille ſanctiſſimus, ut DEI ſui mirabilem providentiam collaudaret, ê tantisqve ancipitibus periculis liberationem praedicaret, non vero Principis in civitatem iram accenderet, nullaqve ratione ſeditioni anſam praeberet. Ipſe vero Sereniſſimus Princeps, egregio plane exemplo, evidentiſſimum favoris ſui, gratiae, atqve benevolentiae in SLUTERUM edidit documentum, merentiſſimo Viro veſtitum novum muneri mittens ſacerdotalem.

§. XXX. Ita qvoq; omnem in Evangelicorum animis tumultuandi cupidinem freqventiſſimis precibus atq; adhortationibus delere anniſus eſt. Cum enim illi vi armisqve coenobia ſaepius ſtatuiſſent aggredi, Monachosqve ê latebris ſuis eruere, vehementer obſtitit, pacisqve civilis ſtudium, & habendum Pontificio etiam Magiſtratui obſeqvium debita induſtria commendavit. Non opus fore violentia, ſaepius praedixit, ſiqvidem ſponte

Digitized by Google

Pontificiam doctrinam collapſuram, & ſicuti fumum leviſſimum (aa) aliqvando evaniturami eſſe; id vero, qvod annunciaret, Evangelium, publico mox conſenſu iri receptum, & vel ab eruditiſſimis Academiae proceribus, qvorum iras atqve odia huc usqve virtute DEI corroboratus ſuſtinuiſſet, approbatum. Qvemadmodum etiam exitus tandem hoc vaticinium ad liqvidum perduxit.

§. XXXI. Jamqve ſeqvens viceſimus octavus hujus ſeculi annus laetiorem vidit Roſtochienſis Eccleſiae faciem; illo ſiqvidem non ſolum coacta civium concio alterum Evangelii praeconem elegit, & vocavit: ſed impetravit etiam, ut qvem elegiſſent, ipſe Senatus conſenſu ſuo confirmaret, & miniſterio verbi ad S. Spiritus Templum praeficeret, hoc inſuper addito favoris in Evangelicos Doctores indicio, qvod Gryſenius non reticuit, *ſtatuiſſe Senatum Evangelicorum decretis firmiter adhaerere.* Atqve is ipſe, conſtitutus jam Sluteri commilito, Pontificiorum caſtra antea ſecutus erat, & inter ipſos Franciſcanorum adhaeſerat Ordini, poſtea autem ad Chriſtiana dogmata meliora converſus fidum exſtitit DEI organon, cujus nomen nunc etiam addimus, Valentinus Korte.

§. XXXII. Coeterum, qvi in reliqvis â Pontificiorum erroribus abhorrebat Sluterus, & ſuam qvoq; de Conjugio Clericorum mentem ſine dubio ſaepius contra Pontificios explanarat, ipſe mox matrimonii dignitatem in ſe oſtendit, legitimisqve ſibi nuptiis honeſtam qvamdam virginem Catharinam Gelem, optimi cujusdam Viri, opificisqve filiam adjunxit, complente illas auctoritate ſua & publica benedictione Collega recens conſtituto, ad D. Petri verbi divini miniſtro, Paſchaſio Gruel, qvem

(aa) Conf. 37. Pſ.

qvem poſtmodum Warnemunda fidei doctrinaeqve verioris habuit Magiſtrum. Pontificii vero, prout odio illis eſt, atqve abominationi Clericorum probatiſſimum licet conjugium ; ſi non diſſolvere idem Sluteri, ſaltem non promovere, potuerunt. Moris enim erat, uti Muſici novos conjuges comitarentur, & cantionibus ſuis convivarum votis interſtreperent. His ergo ut & iis, qvi è Scholis hujusmodi ſolennitatibus adhiberi conſveverant, interdictum eſt, ne praeſentia ſua nuptialia Sluteri ſolenniora redderent. Sed dum ea hic negarentur, major ſolennitas feſto Sluteri exſtitit. Campanae enim Templi Petrini omnem civitatem perſonabant, cum pii conjuges omnisqve comitatus Templum peterent. Sluterus primus Templum introivit, qvaeq; conjuganda erat, ſecuta eſt, qvam concinentes ſcholaſtici praeceſſerunt, ſingulos magna proſeqvente comitantiũ freqventia. Copulationem anteqvam ordiretur, de conjugio Clericorum egit, idqve abunde Scripturae S. locis roboravit deſtinatus huic negocio Collega Paſchaſius Gruel. Exeuntes eadem freqventia ſtipati novi conjuges aedes ſuas repetierunt pulſatis etiam tum Templi ejus campanis. Ita qvod ex voto & ſententia adverſariorum contumelioſe perficiendum erat matrimonium, maxima celebritate abſolutum fuit.

§. XXXIII. Nec tamen, nullae prorſus tunc ut ſuccederent adverſariorum molitiones, praecaveri potuit. Muneri mittebatur Slutero è cella vinaria vini aliqva portio à ſtudioſis doctrinae purioris nectare jam initiatis. Eos igitur, qvibus vinum eo deportandum dederunt, ſubito frendentes aggreſſi ſunt, vinum omne profuderunt, & vaſa pedibus concularunt.

§. XXXIV. Princeps Sereniſſimus, cum tot injurias

 inno-

innocenti Sluterо inflictas auribus percepiſſet, pro Sereniſſima ſua in eum gratia, non tantum aegre tulit tam ſaevam Pontificiorum rabiem, ſed etiam ſummopere collaudavit conſtantiam eorum civium, qvi Sluteri nuptias exornaſſent, adjcit praeterea Optimus Princeps, ſi praecipere id animo potuiſſet, omnes aulicos ſuos Tympaniſtas ac Choraulos ad exornanda Sluteri nuptialia transmiſſurum fuiſſe, qvemadmodum id ſedulo ſaepius laudatus Autor annotavit.

§. XXXV. Paucis poſt hebdomadibus ſeqventis, nimirum anni menſe Martio, Spiræ celebratiſſima illa concilia habebantur, Evangelicis non parum infenſa, ſiqvidem iis decreta fiebant, contra qvae cum Evangelici Status proteſtarentur, Proteſtantium nomine vocabantur. Eodemqve anno perpetuus ille Chriſtiani nominis hoſtis Turca cum innumerabili propemodũ exercitu ad praecipuam totius Imperii Romano Germanici Civitatem acceſſit, eamqve fere ad deſperationem usqve incolarum oppugnavit, infauſto tamen per DEI gratiam ſucceſſu, qvod grata nunc qvoq; agnoſcimus mente, qvotqvot Chriſtiani nominis vivimus amatores. Fata hujus expeditionis Turcicae, mirabilemqve Viennae ab hoſtibus liberationem ab aliis vide fuſius expoſitam.

§. XXXVI. Sluteri vero, vel potius Evangelica, doctrina ſonorius propugnari coepit, ex qvo inſtanti Lutheranorum deſiderio ſatisfactum eſt, & ad S. Jacobi Templum Evangelici Paſtoris munia gerere potuit Dominus Bartholdus, uti vocatur. Attamen nimis cito per adverſarios interdictum hoc ei eſt miniſterium, nec ulterius publice docere permiſſum fuit, qvantalibet etiam orthodoxorum virtus adverſantium machinationes ut refrenaret, conniteretur.

§. XXXVII.

Digitized by Google

§. XXXVII. Nihilo minus eo, qvi ſecutus eſt, anno, ob Comitia Auguſtana valde memorabili, plures etiam Collegas nactus eſt SLUTERUS, nempe Matthaeum Eddelerum, & non longe poſt, Petrum Hakendalium, ambos ad D. Mariae veritatis reſuſcitatae praecones, ambos Evangelicorum Civium & Senatorum ſuffragiis electos. Qvi ſane, qvantum ſola verbi praedicatione efficere potuerunt, ſumma cura ſummaqve induſtria peregerunt; ſacramenta enim per Pontificios Paſtores adhuc ſuperſtites non potuerunt diſpenſare, donec benignior coeli lux tandem apparuit; qvae per ſingularem miſericordis Dei clementiam viſa etiam eſt proximè ſeqvente aetate. Siqvidem vel ante finem anni, qvi volvebatur, XXXImi Ampliſſimus hujus Urbis Senatus coram utriusqve doctrinae aſſeclis ſobriam ſuam ſententiam per deſtinatum ad hoc negocium Secretarium ſuum Thomam Barkhuſium praeſentibus aliqvot non ultimae cerae civibus expoſuit, & aliqvanto poſt per aliqvot ex ipſorum Ordine purioris doctrinae praeconum dogmata reqviſivit. Qvo facto oretenus qvidem, qvae ſentirent, ſunt profeſſi: aſt ut & aliis mens ſua conſtaret, convenit inter ipſos, ut publici juris ſcriptum qvoddam de fide, qvam propugnarent, fieret. Pro omnibus rem perfecit SLUTERUS, coeteriqve nihil praeter conſenſum manu ſua teſtati ſunt.

§. XXXVIII. Cum vero ſic omnia ad voluntatem Evangelicis fluerent, eorumqve numerus, qvi veritati accederent, indies adeo creſceret, ut nec impediri amplius ulla vi poſſet atqve adverſariorum invidia, doctrinae curſus, non deſiit tamen id agere technis ſuis atqve fraudibus, qvi earum artificioſiſſimus eſt ſtructor, ut nonnunqvam ſaltem intercapedo eſſet Evangelicorum gaudii. Hoc fine, cum diverſas de re ceremoniali

moniali

Digitized by Google

moniali inter ſe foverent ſententias Orthodoxiae miniſtri, magnam inde diſcupiebat Satan diſcordiam enaſci. Sluterro haec erat mens, conſultius eſſe, ut cum initio reformatae Eccleſiae Germanici tantum in Templis cantarentur hymni; reliqvi puriores latinos una cani poſſe decernebant. Res ad colloqviũ venit. Conſultarunt igitur in praeſentia Reipub. Syndici, Dni. Oldendorpii, Sluterus alterius ſententiae fautor, & conſtitutus non multo ante Paſt. ad D. Mariae Valent. Curtius (bb) cum Petro Hakendale, & Jacobaeus Paſtor Dnus. Bartholdus, alteri placito addicti. Qvo tandem decretum eſt, etſi ſalubrius longe eſſet, in gratiam populi non niſi germanicos cantillari hymnos, qvos intelligerent, ut tanto magis attenderent animum ad ea, qvae veritati eſſent conſentanea, nec juventuti rurſus papiſtica idololatria latinis illis cantionibus immiſta paulatim inſtillaretur, nihilo tamen minus non indecore, in templis primariis, eo tempore, ubi Miſſae celebrari ſolerent, praeſente Laicorum non magno numero, latinas in gratiam juniorum concini. Germanicis coeteroqvin cantionibus mentem ſuam Sluterus aperuit in praefatione, qvam collectis in Eccleſiae uſum hymnis vernaculis praemiſit, cujus mentionem feliciſſimus horum teſtis Gryſenius injicit, nullum vero â nobis exemplum potuit reperiri.

§. XXXIX. Atq; ex his ſufficientiſſime egregius Sluteri ardore, jusqve flagrantiſſimum religionis, fideiqve puritatis reducendae elucet deſiderium. Nec citius ill[illegible] depoſuit, qvam ipſam mortalitatem exueret. Qvod tamen

(bb) Alias Valentinus Corte, uti §. 31. nuncupatus, qvi egreſſus è Coenobio Franciſcanorum ad S. Catharinam, & per Joach. Slüterum converſus in templo Spiritus S. docere coeperat. Is poſt aliqvot annos Lubecam vocatus ad miniſterium Eccleſiaſticum, tandem Superintendentis munus poſt mortem Hermanni Bonni, primi illius Eccleſiae poſt redditam Evangelii lucem Superintendentis, Theologi doctiſſimi & celeberrimi, adſcitus eſt, teſte B. Dn. Bacmeiſtero l. c.

Digitized by Google

tamen ſanctiſſimo, obſcuro licet nobis, Optimi DEI noſtri permiſſu, proh dolor! nimis mature accidit: ſiqvidem vel eodem anno XXXII, fatigatam tot aerumnis & periculis, vitam ſuam Vir vera virtute atqve utilitate maximus beata cum morte commutavit, non ſine fortiſſimi veneni potentia, qvod fraudulentiſſime ipſi ab adverſariis fuit adhibitum. Uti enim conſveverat SLUTERUS Bibliopegi cujusdam opera, hunc, plurimis ſine dubio perſvaſionibus, adduxit homo qvidam ê Pontificio Clero nefarius, & veneficii crimine non multo poſt infamis (cc), Joachimus Neubauer, ut medicamentum potui vel cibo ejus infunderet, qvi SLUTERO apponeretur, occaſione ea, qvae crudeli huic propoſito apprime accomoda eſſet. Etenim in convivio erat SLUTERUS, ubi hoſpitibus intererat, vel potius miniſteria praeſtabat dictus ille Bibliopegus; horrendum auditu! cum poculum agyrta hic impleſſet, ex qvo primus bibiturus erat SLUTERUS, venenum injecit, qvod ſumtum mortem etiam Viro incomparabili acceleravit (dd); qvam tamen non ad horam, ſtatimq; poſt acceptum virus obiit, ſed poſt qvadrantis demum abhinc anni ſpacium, interea indies magis magisqve contabeſcens. Interim infirmus jam, atqve imbecillis, nondum tamen deſtitit de cathedra populum fortiter edocere, eam cum ſuis viribus non poſſet, aliorum robore firmatus occupans. Paulatim vero fine vitae iminente decubuit, ipſaq; tandem Pentecoſtes feria, horas pomeridianas inter ſecundam, & tertiam coeleſtem animam coelo reddidit, aliqvot annis qvadrageſimo major, qvod teſtatur Gryſenius (ee), ſeculi nimirum anno 32. & ſiſy-

 phea

(cc) Confer Chryſen. ad an. 1532.

(dd) Ex eodem poculo mortem ſibi conſciverunt, qvod recenſuit Gryſenius, cives duo: Jochim Swarnekow ein Boddeker/und nevenſt demſülven ein Wullenwever/welkere beyde Börger ock verquint/und na wenig Dagen geſtorven syn.

(ee) l. c.

„phea tot laborum ſaxa, qvae in vita volverat, ſimul depo-
„ſuit. Partem horum teſtatur etiam B. Dn. Bakmeiſterus
„(ff): Tandem poſt multas preſſuras, odia, perſecutiones
„hoſtium ſuorum, variaqve pericula M. SLUTERUS con-
„ſummato curſu ſuo, & fide ſervata, pie & placide in vera
„agnitione & fide Redemtoris ſui Chriſti obiit, ipſo die
„Pentecoſtes Anni MDXXXII. poſtqvam qvadrante añi
„ante toxicum in convivio qvodam ſibi propinatum in
„cantharo hauſiſſet, qvo paulatim contabuit.

§. XL. Vitae hujus egregii Doctoris, rerumq; magnitudinis ab eo geſtarum duo clariſſima in Civitate remanſerunt monumenta, qvorum alterum lapis ejus ſepulchralis etiamnum oſtendit, verbis ita connexis:

SEPULTURA M. JOCHIM SLüTER, QVI ANNO MDXXIIII. EVANGELIUM IN HAC CIVITATE PURE PRAEDICARE INCEPIT, PROPTER QVOD INTOXICATUS OBIIT, IN DIE PENTECOSTES, ANNO XXXII.

Alterum juxta priorem in lapide inciſum, qvi orientem verſus in muro Coemeterium ambeunte viſitur, ſeqventia monſtrat.

ALS. MAN. ZALT. 1523. JAHR.
M. JOACHIMUS. SCHLUTER. (IST. WAHR.)
ANGEFAHEN. ERSTLICH. GOTTS. WORT.
ZU. PREDDIGEN. AN. DISEM. ORT.
BIS. IN. DAS. MDXXXII. JAHR.
DA. ER. DAN. OHN. SCHULT. SCHENTLICH. ZWAR.
VON. DEN. PAPISTEN. WART. VERGEBEN.
UND. HAT. MüSSEN. LASSEN. SEIN. LEBEN.
GESTORBEN. AM. PFINGST. FEIERTAG.
CHRISTI. STIM. WARTET. OHN. ALL. KLAG.

qvam

(ff) l. c.

qvam etiam Summi Judicis vocem qvin aliqvando multo exoptatiſſimam fidiſſimus hic JEſu miniſter ſit exauditurus, qvis dubitaverit?

§. XLI. Itaqve hauſimus, qvantum per antiqvitatis, ſpatiiqve invidiam licuit, SLUTERI in his terris glorioſiſſime tranſactam vitam, & qvam beatam Beatiſſimus jam religionis mutationem, indies poſt mortem ejus feliciorem (gg), in urbem induxerit, ſimul oſtendimus. Id profecto non eſt, ut miremur, Politicos etiam, & in his Ampliſſimum ejus temporis Senatum, qvam primum praedicare coepit Vir inaeſtumabilis, non facile ad aſſenſũ fuiſſe permotum; ſed diu incitamentis Clericorum ſuorum irretitum veritati obſtitiſſe: hoc vero nunqvam ſufficientibus gratiis poterit excipere poſteritas, cum ſemel primores is, qvi in manu ſua כפלגי מיםם לב מלך habet, יעל כל אשר יחפץ יטנו (hh) ad lucis agnitionem adduxiſſet, ſuoqve in Civitate, per SLUTERUM, & ſeqvaces ejus jam comparato peculio addidiſſet, eos, ſanctiſſimae ſuae vocationi ſtrenue obſecutos, in hunc diem paſſos non eſſe, ut tenebrarum imperium animos incolarum ceu contagio rurſum invaderet, qvid? ne vel minima reſtructae veritati caligo offundatur, etiamnum, ſub auguſtiſſimo Sereniſſimi ſui FRIDERICI WILHELMI tutamine, impigre laborare. Ideo nec deſiſtet qvoq; civium, omniumqve Nobiliſſimae hujus Civitatis priſtini fulgoris cupidiſſimorum qvaelibet aetas In wort und gebet ardentibus defatigare precibus, ut, qvam doctrinam hic qvoq; loci manifeſto Spiritus ſui adjumento revocari voluit, eam ab omni labe, incommodo, detrimento, moleſtia ſinceram atqve integram conſervet, & ad finem usqve mundi in univerſo hujus Civitatis ambitu (faxit & in omnibus

(gg) Conf. Gryſen. l. c. & Lindenberg.

(hh) uti eſt Prov, c, 21, v. 1,

Digitized by Google

omnibus tandem Univerſitatis angulis) reſonari jubeat, nec prius ſubverti patiatur, qvam ipſa mundi haec emoriatur machina. Qvod ipſum ſincero animo exoptantes pleniori ore navatam SLUTERI operam collaudabunt, nec juſtiſſimas has PRIMI ſui EVANGELISTAE laudes obterent, digniſſimi profecto, qvem, ut Claudiani utar dictione,

cuncta loqvatur
Tellus, qvem variis ſcribant in floribus horae,
Longaqve perpetui ducant in ſecula faſti.

Nihil addo, niſi Max. Reverendi D. Grünenbergii, Affinis mei Honoratiſſimi, qvi primus ad ſcriptionem ſcripturum inflammavit, metrum, vitam SLUTERI noſtri velut Epitaphii loco breviſſime repetens:

HIc tandem poſitus molli reqvieſcit arenâ,
KUTZERO genitus qvi JOACHIMUS erat,
Vitam DOEMITIUM, mentem, qvam finxerat ante,
ROSTOCHIUM, puram LEUCORIS eſſe dedit.
Romanâ Petri cathedra frendente, PETRINAE
VARNIACAE primus reddidit inde fidem.
Poſt pueros, inibi Juvenesqve, Viroſqve, Senesqve
In vetus, & verum traxit Evangelion.
Sic reliqvis facta eſt Petrina Eccleſia mater,
Qveis tenero verbi vivere lacte dedit.
Non hunc exſilium, capitisqve minutio, carcer,
Fama veneficii, virus, & ira domant.
Non animo vivens umqvam trepidante jacebat,
Donec eum coelis torva venena locant.
LUTHERUM qvi non ſpernit, non ille SLUTERUM
Oderit. Ille fide vicit, & iſte fide!
Plaude viro Lector, Conſtantem laude corona
Et moriture pium ſic imitare virum.

יהי תהלה לאל שהיה
לי לעוזר

Digitized by Google

Digitized by Google